



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Capvt III. De tempore obligationis celebrandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

stitia est, nam ipse debebat Applicationem unius Missæ, licet in Altari privilegiato, quam Applicationem, quamvis in Altari non privilegiato, jam dedit; si ergo nunc obligatur iterum applicare Missam in Altari privilegiato, redderet Applicationem duarum, nempe jam datam in Altari non privilegiato, & hanc præsentem in privilegiato.

Comparatio Altaris Privilegiati, & Calculi Benedicti.

11. Dubitabis, hac occasione, insuper An Sacerdos ob acceptam elemosinam obligatus in Altari privilegiato celebrare, satisfaciat alibi celebrando, prætextu, quod se cum habeat Calculum, seu Numisma benedictum, cum quo æqualis Indulgentia Plenaria acquiritur.

Quamvis aliqui concedant, quia sic Sacerdos satisfaciit per æquipollens, utroque enim modo applicatur Christi merita Ita March. de ord. tr. 3. p. 2. c. 24. n. 8. Fraxin. Megal. Pasq. apud Lezzan. v. Missa. n. 45. Tamen omnino puto cum Delugo de Euch. d. 21. sect. 2. n. 39. nequaquam satisfacere. Ratio est, quia regulariter Indulgentia applicata Altari, solet esse magis authentica, & secuta, quam quæ applicatur calculo, & fortasse minus dependet à statu gratiæ ipsius celebrantis, ut habeat effectum. Adde fideles adeo esse adductos (& merito) ad Altaria privilegiata supra Calculos benedictos, ut profusus per hos non præsumantur satisfacti.

12. Neque valet dicere satisfieri per æquipollens. Nam obstat ipsa iustitia contractus, quando enim contractus expressè initur de aliqua re determinata, v. g. de hoc equo, non servatur iustitia, dando alium equum, quem nullo modo vult alter contrahens: Ita Molin. de contrah. dist. 562. & passim. Multo magis, si equus sit vendito deterior, aliud enim pro alio, invito creditore, solvi, ex vulgaris legibus l. 2. §. 1. ff. si ceri. per. l. eum a quo, C. de solut. non potest. Si ergo tecum Missam expostulans contraxit de Altari privilegiato, excludit æquipollens; multo magis Calculum, qui non est simpliciter æquipollens, cum sit minus securus, quam Altare.

§. I. De Dispensatione alibi celebrandi.

1. Poteest Episcopus sine dubio in hoc dispensare, quia in iis, quæ passim occurrere possunt, habet is dispensandi potestatem, ut alibi diximus. Ita Bonac. de Euch. d. 4. q. ult. p. 7. §. 4. n. 4. Barbof. de potest. Episc. r. 2. all. 28. n. 8. Nald. v. Missa. n. 34. Lege Pasq. decis. 429. qui id extendit ad Rectores Ecclesiarum. Cum autem de natura dispensationis sit, ut addit causa rei dispensandæ proportionata, & hanc adesse hic debere semper supponendum est. Et quidem legitima sine dubio causa esset utilitas propriæ Ecclesiæ, applicatio studendi, necessitas infirmitatis, & similia, bis, vel ter in anno posse alibi celebrare Capellanum quotidianæ Missæ, diximus §. 1. n. 4. ex interpretativa voluntate Fundatoris.

2. Sed quid? præter licentiam Episcopi requiriturne consensus Patroni, vel Hæredis? Rursus solus consensus Patroni, vel Hæredis, sine Episcopi nutu, satisne erit? Respond. ad primum, non requiri. Ita Bonac. l. cit. §. 4. n. 3. Ad secundum, non satis esse. Ita Barbof. loc. cit. alleg. 24. n. 35. fin. Ratio utriusque est, quia Episcopus non autem hæres clavem habet dispensandi. Fateor int. tim. imò ad-vento hæredis, patronive voluntatem, ad evitanda scandala, esse ex consilio requirendam.

CAP. V. T. III.

De tempore obligationis celebrandi.

§. I. An obligatus celebrare quotidie possit quandoque?

Postulans Missam, vel principaliter intendit eam talis Altaris per celebrationem Missæ, vel

principaliter intendit ipsam Missam in tali Altari, dicitur electa persona Sacerdotis, ibi locus Altaris.

Verum quandonam iudicabitur electa persona, & do locus?

2. Dico recurri debere ad verba Fundatoris celebrantis Missam, vel si hæc sint obicula, ad has causas, ex March. de ord. tr. 3. p. 2. c. 23. n. 7.

Prima regula. Si petens Missam intendat remissionem peccatorum, si Applicationem Missæ, si Impetrationem, & similia pertinentia ad ipsum Missæ votum, electa est persona: si cultum, honoræque Altaris, & moditatem populi, si præsentiam, & similia pertinentia ad extrinsecam Missæ, electus est locus. Ratio est, quia hæc posterior intentio ostendit, præcipue intendi cultum loci, atque adeo eligi locum, ubi eligi celebrantem, atque adeo personam. Quod utrumque intendat, certè erit simul persona, & electus.

3. Secunda regula. Si verba Fundatoris dirigantur ad locum locus erit electus: si autem ad personam, Persona, v. g. si sic dicat: *Polo in Missa celebrare in tali Altari*, est electus locus. Si autem: *eligatur Sacerdos, qui Missam quotidianam dicat*, electa persona. Ratio regulæ est, quia id ad quod diriguntur Testatoris verba, principaliter intendit præsumendum est. Quod si verba directè ad personam dirigantur, uterque, id est tum locus, tum persona erunt electa, ut si sic dicat: *Polo in tali Altari Sacerdos pro anima mea celebrare*. Verum si verba sint dubia, recuratur ad regulas datas in simili, §. 3. d. n. 15.

4. His positis, quamvis aliqui putent esse eligendum, & quando est electa persona, aliud eligendum, quando est electus locus. Ita Sylvest. Salmadriq. Bezia, Bonac. apud eundem March. loc. cit. n. 1. men puto esse probabile, posse dari absolutè hanc universalem regulam, Vt si sit electa persona live sine siue utrumque, Sacerdos Beneficiarius, Capellanus alio quopiam titulo obligatus toto anno Missam quocumque celebrare, possit intermittere, seu vacare semel in hebdomada. Sic Tol. l. 2. c. 3. n. 3. ex c. significatum, de preb. Gavantus in rubr. Missæ p. 3. tom. 1. n. 17. Bonac. d. 3. d. 4. q. ult. ult. p. 7. n. 6. ibi, *Qua de causa nro recipiamus*, &c. favetque Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 6. ibi, *Quæ in missa dam*, Naldus v. Missa, n. 6. Ratio est, quia celebratio anno sine ulla intermissione, onus nimis grave imponere fundator nequaquam præsumitur, cum onus redundet semper in Sacerdotem, directè quæ sit ipse sit electus, indirectè, & per necessitatem sequentiam, si electus sit locus, ut in eo Sacerdos celebraret, semper enim celebratio quotidiana Sacerdotis incumbit.

Nota primò, nos non indigere ejusmodi distinctione, si electa sit persona, vel si electus sit locus: æquipollens excusati quotidianum Capellanum indicimus, alioquin Fundatorem velle solum morali modo obligare, & cavere personam ad quotidianam Missam, non velle præsumere: ut item morali modo velle honorare locum, & eligi Missa quotidiana decorandum.

Nota secundò, nos non asserere pro ratione electionis, de Præbendis, quo aliqui ad hoc probandum utuntur, sed intentionem præsumptam, & canonicelem Fundatoris: Putamus enim ex illo cap. non nos argumentari: siquidem ibi sic loquitur Pontifex de quotidiano Beneficiario: *Quanto frequentius præsalva honestate sua, & debita devotione Missam celebrabit*. Vbi Glossa sic habet: *Hoc dicit, quia non est habendus in bis, vel ter Missam in die celebrare: Vel, Salva a sine peccato mortali, quod esset inhonestum*. Cum res sic explicari rectè possit textus, ut de facto explicari à Glossa, non possumus nisi huic textui ad probandum illam vacationem in Beneficiario, vel legatario multo minus in obligato celebrare per solum unum annum mensem, vel continuam hebdomadam, per

possint etiam & hi vacare, ut aliqui propter hunc tex-
tum, quando elemosyna tota simul pro uno mense, vel
hebdomada datur, minus bene concesserunt.

Dices concedatur hoc propter nostram rationem præ-
sumptæ voluntatis elargientis elemosynam. Respondet
quia per unum continuum annum physice quotidie cele-
brare, est ex se difficile, ideo explicare potuimus non
fuisse Fundatoris intentionem ad id obligare: at per unum
mensem, vel hebdomadam continuo physice celebrare,
non est certe ex se difficile: quare ad intentionem ela-
gentis elemosynam? quasi voluerit concedere tunc va-
cationem, recurrere nequaquam possumus.

5. Sed quoad vacationem prædictam: Excipe primò,
quando Fundator expressè præcipit, vel ex ejus verbis;
omnibus circumstantiis expensis, vel colligitur, ut ti-
ne interruptione Missæ quotidie celebrentur: nam tunc
ex una parte, non possumus (cum constet de Fundato-
ris mente) aliter explicare, quam de continuatione phy-
sica: & ex alia parte, ad tale grave onus consensit Ca-
pellanus. Nec obstat honestum esse propter reverentiam
aliquoties à celebrando desistere: quia etiam est probabi-
lissima opinio, optimum esse, Sacerdotem, qui ad tan-
tum mysterium est institutus, quotidie sine ulla profusa
interruptione, celebrare; ad quam opinionem sequen-
dam se Sacerdos obligavit dum ei oneri, quamvis diffici-
li, accepto stipendio consensit: id quod etiam est satis
moderatum, cum regulariter possit, quando velit, satis-
facere per alium. Ad quos reduco eos qui obligantur ex
legato.

6. Excipe secundò cum Suar. de Euch. disp. 86. sect. 1.
§. de beneficiis, circa fin. quando onus est Ecclesiæ, vel
Monasterii, ut curet dici Missam quotidianam, tunc enim
nulla est danda vacatio, quia tunc non militat ratio di-
cta n. 4. Siquidem tale onus per varios Sacerdotes satisfac-
endum, præcipitur. Idem puto quando expressè præ-
scribitur Capellano, ut Missas quotidianas dicat per se
vel per alium, vel ut Missas celebrare faciat, &c. talis
enim expressio videtur significare non injungi onus Ca-
pellano celebrandi dumtaxat, sed curandi, ut celebrentur
quotidianæ Missæ sine interruptione.

7. Dices cum Bonac. 4. de Euch. d. 4. q. ult. p. 7. §. 2. n. 17.
quando Fundator eligit personam, si intenderet quoti-
dianam sine interruptione Missam, intenderet obligare
Sacerdotem ad rem illicitam, quod non est, quando
eligit locum, quia tunc non intendit, nisi cultum loci,
& per accidens injungit quotidianam physice obligatio-
nem, quam jam potest Sacerdos evitare celebrando per
alium: ergo aliud præsumendum est, quando eligitur
personam, & aliud, quando eligitur locus.

Respondet, utrumque negandum esse, & quod quo-
tidiana sine interruptione Missa sit res illicita, & quod
non idem sit, quando est electus locus. Hoc posterius
patet ex dictis, quia onus semper redundat in personam
Sacerdotis; illud prius nec item multa probatione indi-
git. Quid enim ais? Ergo pii Sacerdotes, qui quotidie
sine interpolatione sacrificant, illicitè agunt? ergo Regu-
la Sacerdotum Societatis Iesv, quæ injungit illi quo-
tidie celebrent, illicita est? Audi Cassianum lib. 6. de spi-
rit. formæ. cap. 3. approbantem Monachorum suæ ætatis
quotidie sacrificantium, imò, & communicantium con-
suetudinem. Quia puritate (inquit) oportet custodire nostri
temporis atque anime castitatem, quos necesse est quotidie
Sacrosanctis Agni Carnibus vesci? Rectè igitur dixisset
Bonac. si id difficile dixisset; nunc vero, cum illicitum
dixerit, non rectè dixit. Et nota ipsum inter ceteros ci-
tare pro se Suar. de Sacram. disp. 86. sect. 1. §. de beneficiis,
circa finem, qui tamen nunquam ejusmodi onus illicitu-
m, sed onus intolerabile, hoc est, satis difficile tolera-
tum, ut omnes fateamur, asseruit.

8. Illud hic addunt Doctores, Naldus v. Missa num. 7.
Peyr. tom. 3. in Addit. cap. 1. num. 23. hunc Sacerdotem
quotidianæ Missæ debitorem, posse quater, vel sexies in
anno pro se, aut suis, vel aliqua alia causa occurrente
Sacrificium offerre, quia non est putandum Fundato-

rem hoc rarum auxilium spirituale suo Capellano dene-
gare voluisse.

Vacare quoad Applicationem an possit Capellanus in die
Commemorationis Defunctorum?

9. Eo die omnes Sacerdotes ad celebrandum pro
aliis etiam physice quotidie obligatos posse, imò debere
Missas applicare generaliter pro omnibus Fidelibus De-
functis, docent Fraxinell. de oblig. Sacerd. sect. 4. concl.
4. §. 22. & Gavantus p. 4 in Rubr. Miss. Tit. 15. num. 8.
Ratio esse potest Prima, quia ita consuetudine introdu-
ctum videtur.

Secunda, quia in titulo primæ Missæ Defunctorum
dicitur, Missa in Commemoratione omnium Fidelium De-
functorum. Nota illud, Omnium, non ergo unius in par-
ticulari.

Tertia, quia in Missa illius diei Oratio est generalis
pro omnibus defunctis.

Quarta, quia intentio Ecclesiæ in tali solemnī die
est, ut generaliter omnes Defuncti etiam destituti aliis
suffragiis a liuventur.

Quinta, quia sic propter pietatem per eas purgantes
animas præsumi potest, voluisse quoscumque Missarum
Fundatores.

10. Verum hæ rationes licet probabile reddant,
quod possint, non tamen convincunt, quod debeant,
quia non est imponendum onus nisi de eo clarè constet,
ut in simili sæpe diximus.

Ad primam autem Responderi potest, vel eam con-
suetudinem non adesse, vel certe non apparere esse in-
troducenda sub obligatione.

Ad Secundam, cum titulum solum ostendere illam Mis-
sam in specie, & non aliam debere recitari in illo die.

Ad Tertiam, Quamvis Oratio externa sit generalis,
non propterea Applicatio Missæ nobis potest esse specialis:
Patet in omnibus aliis Missis per annum, in quibus
Oratio est semper universalis pro omnibus Fidelibus.

Ad Quartam, Ecclesiam id quidem intendere ut consi-
lium, non ut præceptum.

Ad Quintam, voluisse non obligasse.

§. II. De die, quo conceditur Capellano vacatio, & obiter de
Vacatione Diei Iovis Sancti, & Sabbati sequentis.

1. Eo die quo ut dictum est, licet à quotidiana Mis-
sa vacare Capellano, cum non obligetur vacare
sed solum concedatur cessandi facultas, quæri potest,
an si tunc celebret, possit illam Missam, pro se vel pro
alio applicare?

Respondet, non posse. Ita Tamb. de iure Abb. tom. 2.
dis. 9. n. 15. (nisi forte aliquando utatur concessione,
quater, vel sexies in anno, data n. 8. quam concessionem
cum hac præsentī questione non legitime confundit
Peyr. tom. 1. in Addit. cap. 1. n. 23.) Sed posito, quod cele-
bret, pro Fundatore celebrare debere. Ratio est, inquit,
Bon. disp. de Euch. 4. q. ult. p. 7. §. 2. n. 16. quia tunc non
vacaret ob honestatem, & reverentiam Sacrificij, sed ob
avaritiam, accipiendo duas elemosynas, alteram, quam
Capellanus fruitur, alteram, quam nunc recipit.

2. Verum hæc ratio non est saltem universalis, nam
posset pro se, vel pro alio liberaliter celebrare. Ratio
igitur universalior esse potest, quia sicuti v. g. Dominus
vineæ, si ea nullum fructum, seu modicum producit,
nullo, vel modico fruatur; si vero ubertimum, illo in-
tegro non est defraudandus, ita cum omnes Missæ Ca-
pellani sint Fundatoris, illique omnes debeantur, posito
quod celebrentur, Fundatoris esse, non alterius debent.

3. Confirmatur ex quadam doctrina Ioan. Delugo
disp. de Euch. 21. sect. 2. n. 26. qui quærit, an Capellanus,
qui obligatur omnibus feriis quintis, sextis, & Sab-
bathis totius anni celebrare possit vel debeat fe-
ria quinta Iovis Sancti, & sequente Sabbatho cele-
brare? Feria enim sexta non posse vidimus suo loco

Q 2 supra

supra lib. I. cap. 6. §. 1. num. 1. Respondetque non obligari, imò nec teneri deinde in alia hebdomada supplere, quia scilicet potest se conformare Ecclesiæ, eo die cessanti à Sacrificiis privatis, nec præsumendum est Fundatorem contrarium voluisse, addit nihilominus posse quidem celebrare, sed debere applicari, iuxta intentionem Fundatoris, atque adeo nec sibi, nec aliis posse eas Missas quamvis voluntariè dictas applicare. Hæc Delugo, qui huius ultimi dicti rationem non tradit, verum illa est quam nos num. præcedente ex paritate Domini fundi breviter deduximus.

4. Pro illis sex Missis in anno quas Capellano concessimus §. præcedente n. 8. potestne, quando pro aliis applicat, sumere stipendium? Respondeo, mihi videtur non posse, quia contra hæc Decreta Sacra Congregationis sumeret pro eadem Missa duo stipendia, & hæc valere rationem Bonacin. n. 2. allatam fateor.

§. III. An celebrans aliis, quam designatis diebus, satisfaciatur.

1. SI quis obligetur celebrare v. g. feria quarta, sexta & Sabbatho totius anni, ipse celebrat feria secunda, tertia, & quinta? satisfactio obligationi?

Dico, si à Fundatore additi tales dies sunt, v. l. propter cultum, seu devotionem ut Sabbatho propter Beatiſſ. Virginem, Feria sexta propter Domini Passionem, &c. nequaquam satisfacere: satisfacere si propter fructum Missæ. Ita Delugo de Euch. disp. 21. sec. 2. num. 43. Ratio est quia ibi, non servatur Fundatoris mens: hic quoad principale, servatur, & parva illa variatio temporis, cum non sit in aliquo præiudicium; ad summum erit veniale, imò ex rationabili causa, nullum.

2. Non inficior etiam in prioribus casibus vix illam variatatem posse accedere ad mortale cum pariter videatur modici præiudicii. Excipe in casu, quo forte, sine causa, quæ Sacerdotem excusaret, alij, die festo, Missæ non interessent.

3. Idem cum eadem exceptione dicendum de eo, qui obligatus nunc, celebrat in alia hora, modo præſens forte necessitas alia hora non defuerit, ut supra cap. 1. §. 9. n. 9. dictum est in simili.

4. Atque ex his colligitur. An Capellanus obligatus quater v. g. in hebdomada facere Sacrum in tali Ecclesia, satisfaciatur, si Sacrum ibi semper faciat in diebus feriatis. Nam si ex circumstantiis verbisque fundatoris apparet, finem Testatoris fuisse, ut ibi adesset Missa ob commoditatem vicinorum, vel simile, non satisfaciatur: si ob solum fructum, utique satisfaciatur. Sic Bonac. de Sac. disp. 4. q. ult. p. 7. §. 5. n. 5. Id autem quomodo apparere in dubio possit, ex supradicta c. 1. §. 3. à n. 13. quibus colligere facile poterit.

5. Quid si quis obligetur in mense v. g. alternis diebus facere Sacrum, ipse vero quotidie celebrans absolvat obligationem in primis quindecim diebus, & quid si postponat, absolvatque in diebus quindecim posterioribus?

6. Dico cum Delugo de Euch. disp. 21. sect. 2. n. 43. utramque excusari posse, quia cum mutatio sit modici temporis, parva reparatur multo magis eo qui anticipat ob diligentiam. Semper autem habenda sunt præ oculis illa duo: Ne scilicet electus sit talis dies ob causam peculiarem, ut dictum est n. 1. & ne fiat in præiudicium aliquorum, prout dictum est lib. 2. c. 2. §. 3. n. 4. in n. 9.

7. Denique si Missæ quotidianæ propter diminutionem redditus à legitimo Superiore reducerentur ad sexaginta v. g. Missas annuas, poterit Capellanus eas adimplere in duobus mensibus ultimis anni, nec obligatur in anni initio. Quamvis enim ratio legati perit solvi initio anni l. Si ita fuerit lib. de reſcriptis ff. de manum. Test. lege Dian. p. 3. tract. 6. ref. 29. idemque exposcat necessitas animarum Purgatorij, pro quibus illæ Missæ sunt fortè celebrandæ: tamen nisi aliud perat expressa conventio, v. l. voluntas Testatoris, vltus est in contrarium, & Testatoris mens satis ostendit

huic moræ se consensisse, dum successe per annum non simul Missas celebrandas esse, dispositum.

Quandiu possit Sacerdos differre in certis solutionem Missarum, diximus supra c. 1. §. 9. n. 9.

§. IV. De hora, qua Capellanus celebraverit ubi.

De Canonico celebrante hora Officij.

DE hora qua celebrari potest, supra lib. I. cap. 4. §. 4. disputavimus, hic autem sermo est de ra, ad quam Sacerdos se obligavit ex pacto, & pactum servandum esse, darique parvitatem minus ab hora decreta discedatur, patet ex his universalibus; sicuti quodnam peccatum sit pactum non fervetur, colligitur ex modo dicto n. 3. Illud ergo huc tanquam in apposito loco dum reduco, An Sacerdos Cononicus distinet Officij lucretur, si ea hora, qua Officium recitetur, Missam celebret;

2. Communis, & vera opinio est, præcisè Pontificis, v. l. legitimæ consuetudinis, non habere Bon. de Euch. d. 4. q. ult. p. 7. §. 5. n. 7. Ratio, quod est, nec censetur esse præſens in Choro, qui in Ecclesia celebrat. Distributiones vero dantur ibi, dentibus in Choro, exclusa, ut habet Trident. c. 12. de ref. qualibet Canonicorum remissione.

3. Per hoc autem non tollitur, quin obnoxietur Ecclesiæ, v. g. ob defectum celebrantium, vel Chori possit disponere, ut Canonici tempore Missam in Ecclesia sua Collegiata celebret. Ita ibid. n. 7. tunc enim merito lucrabitur distributionem quia, accedente legitima Superioris dispositione, liter indicatur Canonici non abesse.

§. V. Pro quo sit prius celebrandum quando per aliquem simul debet?

1. DAT tibi elemosynam manualemente Petrus pro decem Missis, dat Paulus item similem elemosynam alius decem, nec alterutrius anterioritatem promittitur, enim non est dubium promissioni tibi standum esse pro quo prius satisfacias, pro Petro, an pro Paulo?

Respondeo pro quo velis. Ratio est, quia cum dictis cap. 1. §. 9. n. 4. habeas latitudinem duorum, vel trium mensium, in quibus satisfacere vales, potes quævis eris intra idem tempus anteferre.

2. At quis æquius præferatur? Respondeo, certe prior petit iuxta Reg. juris, Quæ prior est tempore, est iure, nisi propter aliquam circumstantiam contrarium persuaderet.

Aliqui censuerunt æquum esse, ut alternatim modi onera satisfacerent, ita scilicet ut uno die celebraret pro uno, altero die pro altero, & sic vicissim ut nem usque, quod certe est probabile. Ita Fraxin. de Obl. sect. 4. concl. 4. §. 5. n. 2. referens Bonac. aliosque.

Petes: in hoc casu ritène satisfaceret Sacerdos celebraret viginti Missas in communi simul pro Petro, & Paulo, qua ratione in singulis Missis diminutio factus obveniret uni, & dimidium alteri? Respondeo, non aprobatem propter varias rationes, quæ apud Fraxin. ibid. n. 1. sed maxime propter voluntatem petentium, qui dum petunt à te tot Missas, cum fructu separationem, tum communionem cum aliis carere videntur.

Quisnam æquius præferatur, si quando Ecclesiæ plures pluribus Missas debet, & non potest omnes celebrare, dicam infra cap. 5. n. 4.

§. VI. De dispensatione quando tempus: remittitur.

1. CIRCA hoc. Dico eundem Superiorem potestatem in locis, causis posse dispensare in tempore, quæ potestatem in loco, nam propterea recolere, quæ dicta sunt supra cap. 2. §. 2.